

4183.

F. 30. III.

Lib. Gym. Lőtköcsy Restaurans
Sumphib. Pneraj. Dni Pauli Kévityi.
Cura. Micsaitij Zajson Dn. Bibliok
caxij 17 69.

Lib. Bibliothecae Székelyudvarhelyi
 ensis Reg. in censum venit sub
 Auctoritate Professoris Michaelis Gri
 gesii
 Bibliothecarius Johanne Török
 1803

JUSTISSIMA ADOREA,
 piis Manibus
 VIRI quondam LITERATISSIMI,
 ac exinde toto orbe erudito
 CELEBERRIMI D-ni, D-ni
 FRANCISCI PARIZ
 PAPAI,

*Medicinae Doctoris, & in eadem
 Facultate in Academia Basileensi Assessoris,
 ut & in Illustri Betleniano Professoris In-
 clytissimi perpetuoque Pedagogiarcha, ab
 eodem Collegio decreta, & immortalitati*

*Nominis tam optimè tamque diu de
 se meriti L. M. Q.
 consecrata.*



CLAUDIOPOLI,



*Virtus repulse nescia sordida
Intaminatis fulget honoribus.*

Horat. L. III.

*Paulum sepultae distat inertiae
Celata virtus.*

Idem L. IV.

*Neque
Si chartae fileant quod bene feceris
Mercedem tuleris.*

Idem Ibidem.

07761

V I T A.

Natus D. Doctor FRANCISCUS P. PAPAI senior, in Oppido Dees An. Chr. MDCXLIX. ortus suos Reverendo dum viveret Antistiti D. EMERICO PAPAI, Deesiensibus primum, mox Principi RAKOTZIO II. Et demum Ecclesiae Alba Juliacensi Reformatorum à Sacris ab una; ab altera autem parte Matronae Generosi Stemmatibus D. CHRISTINAE KÁVÁSI acceptos ferens, infantilibus etatis annis vix Alba exactis, ab ea quam A. MDC LX. arma civilia Et barbara concitaverant tempestate, ipse quoque cum dulcissimis Parentibus summotus, dum illi Claudiopoli Et Bistricii quarendum sibi asylum ventur, Maros-Vásárhelyini ponenda Literarum tyrocinia suscipit. Hanc ille sua ad amplissimam eruditionem velificationis primam harenam dum gnaviter urget, amantissimo Patre, cui Albenfis Ecclesiae cathedra oranda obtigerat, orbatur Anno MDC LXVI. Nequicquam fractus hac orbitate nihilominus, Albano Betlenianum Collegium, quod à desolatione Albenfi in exili admodum semine Claudiopoli con-

(o)

servatum, recensissime Enyedini plantatum erat, salutans, acrius cepto instat, donec togatorum illius Collegii Alumnorum numero accenseri meruit Anno MDC LXIX. Magnorum ibi Professorum cura, D. Samuelis Enyedi, Pauli Tsernatoni, Johannis Nadányi, Stephani Tsengeri, tantum profecit, ut non Poëseos Præceptoratus honore duntaxat mactaretur, verum ex quadrienni diligentia, illorum non minus quam suo iudicio dignus censeretur, qui in exoticis artium emporiis studiorum suorum lucrosiorem mercatum quæreret. Quippe Medica facultatis comparanda ergo peregrinatione suscepta Anno MDC LXXIII. proprii aris (quod ex patrimonio satis amplum ipsi erat) subsidiis nixus, Lipsiæ primum tum Marburgi jecit Academicorum studiorum fundamenta, Heidelbergensem quoque Academi-
am, tum in flore, & omnium Germaniæ Academicarum antiquissimam & amplissimam visitans. Quo cum profectu, facilis assequitur conjectura: siquidem fertur, à magnis ibi Viris ipsi intimatum esse, ut Philosophiæ Professoratus illic ambire non recusaret. Visum tamē ipsi est florentē quoque Helvetiorum remp. & Academias

-visita-

(o)

visitare; & primum quidem Tigurensem, ubi apud Celeberrimum Heideggerum hospitium quarens, ejusdem & Zvingeri, Clarissimorum Virorum commercio, diu satis perfruitus est; post Basileensem, ubi Magni Hottingeri de cultiore Latinitate & Antiquitatum orientalium peritiia famigeratissimi mensam sibi & commercium emens, ut illi ampliorem literaturam, ita Bauhino celebratissimo Medicinæ Doctore & Professore Medica artis peritiā, acceptam tulit. Ibidē tunc, necessitudinis & commercii literarii, quod cum Joh. Jacobo Hoffmanno Professore nunc Basileensi, viro multæ eruditionis indefinenter coluit, fundamenta jecit. In eadē Academia Medicinæ Doctor creari, quin in facultate Medica Assessor renunciari meruit. Tot ergo adoreis mæctus ac honoribus insignis, illam quam sub quadrienni peregrinatione collegit variæ eruditionis ac experientiæ mercē, in patriam solū intulit, Anno circiter MDCLXXVII. Ubi plus quam biennio in vico Földvár ad Felvintzium, privatam domi suæ trahens vitam, præterea, quod de amplissimi nominis Parente regni Optimatibus non esset obscurus, à praxi quoque Medica innotescere perrexit,

(o)

eo quidē usq̃, ut Professore interea literatissimo D. Paulo Tsernátonio ex forti apoplexia An. MDCLXXIX. vita decedente, vacans illius cathedra cum Pædagogiarchatu, Principis & Curatorum votis ipsi sit oblata An. MDCLXXX. 4. Januarii, quam continuis 35 annis variè ornavit. Hic enim ille Græcam Linguam tum Novi T. tum exoticorum Scriptorum ad usq̃ Poëtas, Homerum, Pindarum, Hesiodum, Theologorum imprimis; hic Politicam Secularium; hic Logicam, Physicam, Historiasq̃ utrorūq̃ causa, ex professo, quamq̃ captata laboris occasione à temporibus & studiis, tractabat. Quicquid ab ordinariis laboribus restabat temporis, id quoq̃ publico consecraturus, vulgandis in publicā utilitatē libellis animū adjecit. A primis quidem Professoratūs sui ingressibus, Historiā Reformationis, quam Rudus Redivivum appellare voluit, exemplo in ea quidē materia à nemine nostrorū tentato; tum etiam Pacem Animæ, obtulit. Altero decennio, Pacem Corporis, ter jam scriptoriū prelum expertā utilitati publicæ propinavit: nec non Artem Heraldicam, Pacem Aulæ, Pacem Sepulchri, enixus est. Tertiū de-

cenni-

(o)

cenniū ferè Lexico elucubrando impendit ea assiduitate, ut nè motibus quidē civilibus, ipsaq̃ eversione Oppidi Enyed, (in qua amisissis fortunis vix ipse cum Collegis saluus evasit) quin etiam plus quàm annuo exilio, in quod motus civiles propulerant, ab incepto pedē revocari passus est, adornatā etiam ex Gallico sub eandē temporū acerbitatē Pace Crucis. His viri de rep. meritis oportunè accensuero (præter beneficia, quibus nostri ipsius auspiciis domi forisq̃ aut frui sunt, aut adhuc fruuntur,) Electorale illud binis successivè Alumnis ab Annis plus quàm viginti usurpatū, in quo impetrando plurimus fuit.

Maritus successivè triū uxorum ex familiis non plebejis oriundarū, cum prima, quæ ex familia Zöldiana, tum Debrecinensi olim Bele-nyesiensi septem; cum altera, quæ filia fuit Generosi quondam D. Andrea Szeghalmi, diu apud Portam Residentis (vulgò Kapitiba) quinq̃ annorum breviam gaudia egit; cum mæstissima nunc relicta Juditha Nyiró longissima. Liberis masculis & fœminis ex quavis susceptis, ex prima Barbara C. D. Stephani Veszpremi consorte, &

Anna

❖ (o) ❖


Anna demortua; ex aliera Francisco, nunc
apud Britannos experientia causa peregrino; &
Christina, consorte C. D. Petri Náduvár; ex
tertia deniq; Emerico, nunc apud Belgas Stu-
diorū causa peregrino; Andrea adhuc impubere;
tribusq; filiabus demortuis.

Vir admodum rara eruditionis; Latinus ter-
sissimus, & suavissimus; Græcus exactissimus,
Hebræus, Gallus & Germanus sic satis cura-
tus; Philosophus per omnes Scientiæ partes ver-
satissimus; Theologus fundatissimus; Histo-
ricus promptissimus; Medicus experientissimus
& fœlicissimus, & hinc apud omnes ordines do-
mi forisq; magna auctoritatis; ex prosopographia
etiam innata gravitate reverendus; indefesso la-
bori, imprimis sub civilis belli octennio gravia
passus, quin & morbo Colico & Calculari fra-
ctus, succumbere capit Anno circiter M DCC XIII.
usq; quo sensim magis ac magis deficiens, & vi-
vis annumerari desit Anno MDCCXVI. 10. Sept.
hora 3. matut. natus annos ætatis 67.



Status Migrantis.

HEu! Me quanta subit charorum cura Meorum?
Dum meditor patriam: dum subeo cineres:
Dum tolero graviorum in corpore, spicula morbū:
Mortis acuta manus dum imminet ipsa mihi:
Dum umbra mei sum: dum jacet hic sine viribus artus:
Dum indefessus Agens, deficio, nec ero:
Membra rigent dum, fracta Domuncula: Tecta revulsa:
Clausus ocellus erit: dum sine luce dies.
Sed bene! Nam optatō mihi mors hæc tempore venit,
Impavidum me dum mors inimica ferit:
Dum longō, Medicum constaret, tempore, verum
Me, in Christo vitam semper habere meam;
Nam Armiger ejus eram: Et si quid licet indè referre,
Id fiet Domini, sto, cado, seu jaceo.
Virginis ora fero, medio de flore senectæ:
Virgo fidem Domino non temerata gero.
Atque redire, capeffere cœlica Regna Maritus
Servatæ fidei virginis, ipse jubet.
Et, quia servus eram, pretiosō sanguine Jesu
Tinctus; Amore salus est mihi digna meo.
Jam quæsisse meum Sponsum satis esse putavi:
Nulla non horā, & clamo: *Benigne veni!*
Jam, & vocem, & gemitus (Non surdus) percipit, audit;
Exspectatus adest; fallere nescit enim.
Angelicam seriem præmisit, terga secutus:
Ultima pacem animæ reddidit hora meæ.
Porge manum, dilecta tuam! (Nil obstat amor.)
Ajebat mihi sic: *Me, mea perge sequi.*




Iussa sedere meo Regi jam proxima gesto
 Pocula, quæ nectar dulcis amoris habent.
 Sic Introductam; Thalami, ante hæc secla parati
 Dives amoris odor, Regis amore beat.
 Perplacuit quia stanti, conversatio cœli;
 Migranti, indè, poli semita, nota fuit.
 Enyed enim Servos Christi bene condit in urnas:
 Ad Cœlos ab Enyed publica strata via est.
 Et mihi jure dabunt Cœli, *pacem*: *Aula* quietem,
 Jurè *Sepulchrum*, *Crux*, *Corpus*, & ipsa dabunt.
 Pacis Alumnus enim Pacem in loca quinque locavi:
 Sexta, mei juris, *Pax* sit amica, *Poli*.
 Et Dilectus Amans, Dilectam, rite fovebit
 Membra quoad subeant vincula rupta modò!
 Ergo, vita mihi, mors: jam mors vita perennis:
 Hæredi pacis, pax mihi semper erit.
 Atque diè nullò finis amoris erit.

Sic parentabat Collegæ Venerando *PETRUS SZILÁGYI*,
 Theol. Metaph. Lingvæ Hæbr. Professor ordinarius
 in Colleg. Bethleniano N. Enyedienfi.

ANniaci Numen, Doctorque Paterque, Lyc ei,
 Aonidum Fratrum Gloria prima, cadit.
 Heu! cecidit PARIZ PÁPAI FRANCISCUS in Urnam,
 Jamque Virum Magnum cimbula parva capit.
 Ingenio quantus? quis erat? non pinget Apelles,
 Non lingvæ centum, nonque tot ora dabunt.
 Musarum certè Genitor, Pater atque Patronus,
 Summus erat Grajus, summus erat Latius.
 Vitam perraris Studiis exercuit omnem,
 Dum juvenis, dum vir, dum fuit ille senex.
 Lipsia fovit, Marpurgum, Hejdelberga, Tigurum,
 Mitrâ cinxit ei post Basilæa caput.

Dulcis




Dulcis amor Patriæ reducem dum fecerat, Illum
 Excepit placidò Dacica Musa, sinu;
 Fit decus & Patriæ, toto celeberrimus orbe,
 Vertice digna suo fuscitat elogia;
 Testantur seclî celeberrima lumina passim;
 Testantur doctæ tot monumenta manûs.
 Vita fuit mera *pax*, *pacem* docuit coluitque,
 Quâ, heic dum frustratur, morte beandus erat.
 Nam post sex decies agitur dum septimus annus,
 Mensis completè quartus, ad astra volat.
 Mortem Ipsi cura, & sancti peperere labores,
 Mansuri æternam quam meruere diem.
 Annales narrent & succedentia secla
 Præmia nè invideant, quæ sine fine forent.

Celebritatem famæ defuncti, non tam Soceri quàm Patris
 desideratissimi, sic æternò insculpsit Colossò, non
 tam gener quàm filius obsequiosissimus, *PETRUS*
NADUDVARI, Ecclesiæ Reformatae Saxopo-
 litanae Plebanus, & Capituli Decanus.

PLangite qui miseros novistis plangere casus,
 Cum lachrymis threnum fundite Pierides!
 Mortuus est PAPAÏ, Grajæ Latique corona,
 Magni Galeni, Cartesiique decus.
 Totus sedulitas fuerat, per prata Minervæ
 Delibans flores, more sonantis apis,
 Doctrinæ flores, quos Græcia, terra Latina,
 Quos verbum Divûm, quos ratioque tulit.
 Insignis Doctor cum fructu fercula Sacra
 Mellea doctrinæ distribuitque dapes.
 Zoile num dubitas, facilis frendescere lingvâ?
 Non tibi defuncti corporis umbra nocet.
 Tu quis es, elatâ tumidus cur mente superbis?
 Omnia tu proprio captus amore facis.

B 2

Omni-




Omnibus hic Doctor studuit prodesse talento,
Lingvâ, sic calamo, pro ratione status.
Mors quamvis tollit Fortes, doctosque Prophetas;
FRANCISCUS PAPAI vivet in orbe tamen.

In memoriam piè defuncti Viri, Præceptoris quondam in
Alma Enyedina charissimi, / proximè verò Affinis
multùm observandi, hæc pauca mæstus apposuit
STEPHANUS A. SZOKOLYAI, Minister Ec-
clesiæ M. Vásárhelyiensis.

A Mramides de stirpe Levi, cui cura Sacrorum
Credita, lamineâ redimitus tempora vittâ
Ter sanctum Divum nomen qui in fronte gerebat,
Atque humeros circum niveo succinctus amictu,
Bis senæ ad pectus radiabant ordine gemmæ,
Queis totidem Ifacidum cælantur nomina: Thumim
Atque Urim responsa dabant prænuntia fati,
Quæ non Dodonæ quercus sylvæque loquentes,
Delphica fatidici superant nec carmina Phœbi.

Ornatus jussu Superum his de more Sacerdos
Jura dabat, pia corda gerens, rectumque colebat,
Thuricremosque simul Superis adolebat honores.
Plus pietas vinctum, plus religioque tenebat,
Quàm Patrum curæ, teneri quàm Matris amores,
Aut dulces gnati, vel pignora chara nepotum,
Gratia vel fratrum: legum servator & æqui
Sub pedibus cæsos hostes victorque premebat.
Haud secus accensus divo *Francisce* nitebas
Lumine, chare Deo *Pariz* Patriæque Sacerdos!
Noctes atque dies tensis super æthera palmis
Aris prostratus: donec *pax* ingruat alma
Corporis, atque *Aule*, atque *Animæ*, *Crucis*, atque *Sepulchri*,
Et *Latias Humis* par conciliare Camænis:
Rudera cum *Heraldo* Vatem *rediviva* loquuntur.

Ergo



Ergo Senex venerande, Tui monumenta laboris
Et meritis dignum vivet per secula nomen.

Idem qui exequias Venerandi Senis, sacris sermonibus ex
Deut. 33: 8, 9, 10. depromtis prosequatur, piis ejus-
dem manibus, stridulo hoc Carmine mæstus parentat
ANDREAS SEBESS ZILÁHI, V. D. M. &
SS. Theol. in Colleg. parepidemo Professor.

Albertum Molnar mirabere Pannonis ora,
Dum tibi restituit Latium, dum Lexica format.
Helvetiam *Reuchlinus*, Belgas doctus *Erasmus*
Ornabant, purè dum Sacros Aufoniosque
Mundo Sermones indocto restituisent.
Alter hic Albertus, Reuchlinus, noster *Erasmus*
Papai, quem purè Latium post Dacica vidit
Tellus, multa reformantem & *Rudus Redivivum*,
Lexicon immensum, sic vasta volumina *Pacis*
Optatæ mundo literato sacra dedisse.
Hicce fuit tantum tibi, Transylvanica tellus
Delicium, tantæ Aufoniæ pia Numinis Aura,
Proh dolor! invida quem Parcarum Numina acerbo
Funere merferunt, quem mæstus suspicit orbis.
Triste malum quò nos crudelia fila Sororum
Corripuere. Virum dum tantum Dacica tellus
Amisit, meritò lugentes illachrymamus.

Ita lachrymabundus parentat piæ memoriæ Defuncto, Profes-
sori quondam suo Venerando & Affini gratissimo,
GEORGIUS BONYHAI, Minister V. D. in
oppido Küküllővár, ac ejusdem Tractus R. Senior.

Extremos, duplici quæ cinxi tempora lauro
Musa Viro, Tumulo meditor superaddere honores.
Religio non una fuit, qua justa sepultis


B 3

Fune-



Funeribus solvère suis Gens prisca, superstes
 Luxuriat cippò & Libitinà non minus æras.
 Sed mihi *Parizi* litare solennis Alumni
 Manibus & pompas dum ponere molior, omnis
 Displicet: & tanto non funere digna videtur.
 Tanta fides ipsi edit pectus amorque Sororum.
 Ergo tuæ manes solari conjugis, Urbe,
Anea, sat habe cognomine, clare, Lavino
 Extracta pietate tua: *Artemisia* sævas
 Carica sedent artificum certamina flammæ
 Heu tibi, quæ dulci urget substituissè marito
 Casta fides, pietas, Venus intemerata sepulto,
 Aut Mausolæi dives fortuna sepulchri:
 Eloquio *Octavi* Julio, Romane, parenta,
 Persuadere tuis adeò contente *Quirinis*
 Vindictam cædis, sermone & veste cruenta:
 Eligat *Empedocles* ardentem frigidus *Ætnam*
 Desiluisse; sibi que caminis ipse parentet
 Cyclopus: studiis certet variabile *vulgus*
 Diversis, fabrefacta Scopâ monumenta suorum
 Erigere, & cineres altis signare colossis:
 Et quid multa? suo nunc sensu quisquis abundet;
 At mihi parva nimis rerum substantia visa est
 Cunctanti, quæ materiâ compacta superbit,
 Quam valeant flammæ, vel edax abolere vetustas:
 Et *Pariz* doctis dum ille vit dogmata chartis
 Æternaturæ mandans sua nomina famæ,
 Corpoream molem lufit. Pia *Musa* quid ergò
 Molior? ære mihi *Pariz* quin Carmine major
 Esse cluit; nam credo equidem se Dacia tanto
 Aut nunquam, aut serò tellus jactabit Alumno.

Quin



Quin noviore modo tumuli decorande *Parizi*
 Tum demum meritis & nomine digna parento
 Jussa tuis, dum *Te Te* narratura *silebo*.

Virum multiplice eruditione utilem, ereptum publico, hæc
 prosopopœia flet, simul Præceptoris olim sui, &
 post Collegæ venerandi honori postremo ita assurgit
STEPHANUS GYULA SZIGETIENSIS,
 SS. Theol. & Philos. Professor.


L Ugubri laurum quid miscet Apollo cupresso?
 Et cytharâ tristi busta quid atra canit?
 Occubuit Celebris Phœbi Themidosque *Minister*,
 Sol Paradisiaci graminis occubuit.
 Fabula narratur? Minimè; sed vera canuntur,
 Dum nos mortales fabula vana sumus.
 Luxerat eximio, Lux hæc decorata nitore,
 Ah! lucet, mallet dicere; Parca vetat.
 Ingeminant Væ! Castalio de fonte bibentes,
 Triste quod erepti sit paradigma *Ducis*.
 Aut Athon, aut Rhodopen, aut Acrocerania findat,
 Æolus, & fugiant sidera versa retro.
 Et mea *Musa* *Virum* lachrymis memorato sepultum,
 Triffolii maciem donec Apollo dolet.
 Quod superest: summum veneror prece suplice Numen,
 Ut blandò rursus nubila sole fuget.

Hicce celeberrimi ante paucos annos Professoris sui, nuper
 verò sym nystæ æstimatissimi obitum lugendum profe-
 quitur *GEORGIUS GYULA SZIGETI*,
 Gymnas. Udvarhely. Professor.

PATHOPOIA THALIE DACICÆ.

Dacia quid sperem? piceâ caligine cœlum
 En tegitur nostrum: labentia sidera sedes
 Illastres reliquere suas; stupet anxius indè
 Lassus Atlas, humerisq; polos vix credere censet.

Omnia



Omnia Naturæ præpostera legibus ibunt,
Sic ait, in veterem rursus revoluta figuram,
Aut chaos hærebit, mundi nascentis origo,
Aut nova fulgebit; nova Cælo Lumina fient.
Clarus Apollinea *Papai Franciscus* ab Arte
Clarus *quintuplicis* peramceno jubare *Pacis*
Ecce cadit! *Pacemq;* capit Pius ipse *Sepulchri*.
Mœsta Thalia tamen jugibus cœlum impleo votis,
Ut vigeat Lux ampla solo mea Dacia vestro.

His prosequitur tanti Luminaris calum

MICHAEL SZATHMARI, in III. Coll.


S. P. Albano Phil. & LL. O. Profess.

Cur plangas, fat habes Enyed, & Studioſa Juventus!
Utraque & Hunnorum Patria, quid doleas!
Patria Doctorem amiſiſti; Enyedina Maronem;
Tu Pullata domus Papaidum, omne decus!
Ah Patriæ Phœbus *Papai* decus omne Lycei!
Inter Doctores jam Tua ſvada, tacent.
Tu PACEM heptaplon, Patriæ ſudore parâſti,
Signatam chartis; quam integer orbis habet.
Migrâſti in pace, in pacem, et poſt terga relictis,
Bella reliquiſti; ſic Domui lachrymas:
Quare nos, exangve TUUM cum condimus Urnæ
Corpus, cum lachrymis, hæc monumenta damus.
Quæ diviſa beant quenquam, collecta tenebas
Qui virtus fueras totus, & ipſe labor.
Condignas meritis grates ſi deneget orbis
Ingratus; ſed jam præmia digna tenes.

Celeberrimo Doctori ſuo, à teneris Fautori unico, & ad
humaniora vitæ Promotori dilecto, Patri in Chriſto
venerando his parentabat JOHANNES PATHAI,

Eccleſiaſt. M. Bogatiensis.

Sæpè



Sæpè per ora ferox hominum Libitina furore
Falcis atræ fractum te, duris vermibus uri
Sparſit, & ora gelu æternum jam conticuiſſe.
Scilicet ipſa tuis variis exercita curis
Cimba fatiſcebat; ſæva inde tonitrua falſæ
Urgent magnanimum quemvis, bene fidere famæ.
Sed tuba dupla mihi peracerbæ murmura mortis
Ingeſſit graviore modo, quàm credere poſſis,
Dum redeo Patriæ ſacratus, namq; ſolutum
Accipio famâ Fautorem jam propiore.
Mens ſtupet hîc, horror capit ut Jovis ignibus iſtum
Stillantes lachrymas inter, quæ pectora vibrant.
Inclamo, meme ferali pegmate tactum
Deſleo, ſlent etiam Heroem geminantq; dolorem
Queis ruptura Scholæ cordi eſt, Sponſæq; Tonantis.

Ita rigefcente animo, triſtiſſimo funeri parentabat

COLOMANNUS BAROTI, Theol.

Stud. & ex Acad. neo-redux.

CLaram alii lachrymis ſpargant, qua condere tumbam
Leſſumque fundant lugubrem.
Non ego, quem Pietas rapuit, quem plurima Pallas
Polo locavit arduo;
Exemplo hic præiſſe aliis ad ſidera gaudet.
Imitatio placet magis!


Pie defuncto triſtis parentabat DANIEL KOLOSVARI,

Judex ſenior Regiæ Liberæq; Civit. Maroſvárhelyienſis.

MYſta Dei, FRANCISCE PARIZ PAPANE, Profeſſor
Artibus, ingenio, tum ſedulitate probate,
Vixiſti Patriæ, Hunniacam gentemque beâſti
Docto opere, & vario. Ergo illum lugeſ Camœnæ
Illuſtres animæ, Conjunx mœſtiſſima plange,
Plangite Voſque Patrem doctum pia pignora, luge

C

Enye.



Enyedina Cohors, rapuit Libitina Magistrum
FRANCISCUM PARIZ, docuit Mysteria sancta
Naturæ, Charites geminata voce dolete
Occubuisse virum cunctis prodesse volentem.
Pro meritis FRANCISCE tuis jam tolle coronam
Cœlestem; sed langvida membra sopita quiescant,
Et tandem altifona Christi virtute resurgant.
Adde meis votum, mecumque precare Viator.

Ita parentat dilecto quondam Præceptori & piæ memoriæ
Affini STEPHANUS BORBELY de M. Vásárhely,
juratus ejusdem Civitatis Notarius.

Silicet ut multos cum pronior æther humores
In bibulas nubes ab humo collegit & undis
Prata per & flores, & cultos gramine campos
Hortos irrorat, sitientesque irrigat agros;
Sic *Papai* veteres Sophias inventaque doctis
Emunxit chartis, arcanaque Numinis hausit,
Corda rigando piæ ob longas sitientia noxas.
Ille nec ut quidam juvenum torpescere somno
Sveverat, at studiis longas impendere noctes
Ludus erat, doctisque senum impallescere chartis.
Amissum lachrymis ergo lugete Parentem.

LADISLAUS O. BIBARTZFALVI p. t. Senior Coll.
& Eloquentiæ Præceptor.


Dialogus inter Collegium & Doctorem.

Tene vocant Superi, Doctor celeberrime, Divi?
Tene poli clamant? Sidera tene vocant?

Verba Doctoris:

Mefane! quoniam primæ sum portio glebæ,
Haud melior potui Patribus esse meis.
Parizi Medici conduntur membra sepulchro,
Cœlitus ut fiam spirituum Medicus.

Verba



Verba Collegii:

Heu decus Aonidum! polyhistor et alme Sacerdos
Palladis heu nostræ! Pieridumq; decus.

Verba Doctoris:

Quandoquidem merui Collegia digna trophæo,
Fœlix scando polos, cœlica carpo loca.
Hunc cinerem cineri mandate; At credite mentem
Ad Patrem lucis, qui dedit ire, Deum.

Michaël Bodoki, p. t. Collegii Contra-scriba.

ET frustra nostram dulcis Patriæq; coronam
Franciscum Pápai, nomen cui creverat altè,
Mortifero potas ô Mors ingrata veneno?
Quem quanquam rapiat Parcarum non pia turba,
Attamen est fœlix; nam curis anxia nunquam
Est mens illius; verum sine fine beatam
Vivit in excelsò vitam à Christo sibi partam.

Johannes Csekelaki, Collegii Assessor.


Franciscus Pápai Doctor prudensq; Magister
Et paci studuit, pacis et author erat:
Pax animæ, Crucis & Lingvæ pax, atq; *Sepulchri*,
Corporis atq; *Aule*, sunt documenta rei.
Ætherea jam *pax* quiescit, *pacis* odores
Tanquam digna sibi præmia, Doctor habet.

Johannes Segesvári, Coll. Assessor.

DOctor Athenarum, rerum prudensq; Magister
Tractabas populum, cur abis atq; cadis?
Tu moribundorum vitam curare solebas,
Cur properas terram relinquere et hospitium?
Ecce domus lachrymas velut imber fundit apertas,
Cum videt è vivis te eripuisse Deum.
Vixisti Patriæ celeberrimus unus Alumnus,
Implèsti terram *pax*, labore bonò,

C 3

Qua



Quæ tibi Summa bonæ est fidei, nunc accipe Christum,
In tumultu terræ molliter ossa cubent.

Petrus Kovácsnai, Coll. Alumnus.

Dulce solidumq; solamen Magni Dei Viri ex *Psal. 73.*
ψ. 26. Deficiente carne mea et animo meo, rupes
animi mei, et portio mea Deus in Seculum.

Mille modis frangor, per plurima tristia lassor,
Non secus ac ardor perculit ossa dolor.
Pulveris isthujus jam nunc usura negatur,
Non mihi ut amplectar pignora chara datur:
Durum! Sed quamvis æternus me sopor urget,
Quamvis deficiunt (heu!) caro, corque meum;
Attamen ipse Deus rupes et pars mea semper,
Pars mea pulchra, mihi nullô adimenda malô.
Ergo frui Dominô tantô svavissima res est,
Et mihi nîl quicquam dulcius esse potest.


Franciscus B. Vásárhelyi, Coll. Alf. & p. t. Poës. P.

Zodiaci latô secti curvamine Libra
Æquabat nondum furvas cum lucibus umbras,
Æthiopum ast versabat oves sub Virgine tellus;
Spicula cùm Virgo pullô lethalia cornu
Torfit, et Anniaco *Francisco* inhæsit arundo
Parizo, Gentis claro de Stemmata nato.
Ast utut alta quies placidoq; simillima somno
Presserit; ad Superos, quorum se voverat aris
Attamen intravit, nec se sua cura fefellit,
Sed linquens monumenta Sui. Se Dacica rarè
In tantum tellus ullo jactabit Alumnô;
Vivus enim cunctis semper super ora feretur.

Andreas K. Vásárhelyi, Sp. D. Joh. Láz. Eph.

Quæris cur foliis tempora tristibus
Velamus miseri, fuscaq; cur stetit

Pallas



Pallas veste, novemq; ordine virgines?
Atrox nam Nemesis Clinidium Patris
Invasit, similis, hostis ut impiis.
Quæ dum Sandapilæ membra dedit suæ;
Menti nîl nocuit, quæ fugiit rogos.
Et nunc læta manet, nectare pascitur,
Cœli deliciisq; ut pia vescitur.

Paulus Batzoni, in Coll. Alumnus.


Dialogismus.

Grande decus, columen rerum, pietatis imago,
Anniacæ Musæ gloria, Virq; Dei,
Quò te fata vocant? aut quæ Libitina mephytim
Eliciens nostro segregat è gremio?
Post exantlatos calido sudore labores,
Jam sedes repeto, quæ mihi sorte datæ:
Corpus in hoc terræ requiescat pulvere, pulvis;
Sed mea mens plastæ gaudet amore Dei.
In terris didici Christo servire fidelis,
In cœlis cujus præmia larga tuli.
Utor agonalis fragrantis odore Triumph
Ambrosia Christi, deliciisq; poli.

Michaël D. Krizbai, in Coll. Al. & p. t. P. P. Synt.

Francisco foliosa fuit fortuna, futuram
Festivam fessò frigiditate facit
Funestum fel, fur furialis fulmine frendens
Fatidicæ falcis, festa; feuda facit.
Parcarum putri potu potata proinde
Progenies *Papai* pectora perfodias
Planctu, *Parizium* prece prosequitorque *Parentem*,
Præpetibus pennis pignora Promeritum:
Propinans promptè pietatis pocula **PACES**
Patronus, pergat prendere pace polos.


Johannes D. Krizbai, in Coll. Alumnus.



Quid laniata sinus, liventia brachia tendis,
 Anniacas toties auras ululatus implens,
 Luctibus insatiata tuis, *Plebs* docta *Sorum*?
 Nempe atras nuper vix faucia viscera ad usq;
 Exiit ut vestes, vultus sumtura serenos,
 En nova Fata subit *Parcis* inimica *Minerva*
 Nostra; cadit siquidem *Magnus prostratus Apollo*:
Magnus Atlas rerum, Lux, Dux est stratus, et *Urnâ*
 Clauditur ecce brevi, quem multum *Dacia* quondam,
 Quem stupuit, coluit, virtutibus incita longè
 Terra ignota; *VIRUM* stupuit *Grex* subjugis, is, qui
 Corruptus lachrymis, buxô conspersus utrinq;
 Nunc, lacerisque comis, Patrem comitatur ad *Urnâ*.
Georgius Dosa, Coll. Alum.

Triste celestina canit, tristis chorus ipse *Sorum*,
 Et roseas facies pallida labra manent.
 Prægnans hæc causâ est: non cessat scribere elenchum
 Doctorum ex numero *Melpomene* tragica.
 Rursum *Parizum Franciscum* nomine, doctum,
*Pápa*idem, Medicum, Mors, *Libitina* tenent.
 Quamquam Mors, *Libitina* ferant; sed marmore digna
 Scripta docent, calamô se posuisse *Pharon*.
Franciscus Cs. Pápai, in Coll. Alum.

Ecce! grata cohors turbine stridulo
 Conculcat *Nemesis* squallida nubibus
 Sidus *Pannonidum*? stirpitibus arbores
 Immitis *Boreas* quatit.
 Jam vix læta dies fulget honoribus,
 Vix mites *Zephyri* pignora olentia
 Gratanter recolunt, *Æolus* impetu
 Regnat ventipotens *Truci*.
 O! quam



O! quàm tædificam fata minantia
 Sparfere *Aonidum* sedibus en luem,
 Sævit namq; minax Mors, diademata
 Sternit falce micantia.

Eheu! canities cygnea flosculis
 Vernabas *Pápai* dives honoribus;
 Nunc te tumba tegit, mergitur *Hespero*
 Jam concussa diu rates.

Stephanus Borberekí, p. t. P. P. Etymol.

Querela Collegii.

Heu mihi sic nêrunt ingrata stamina *Divæ*!
 Ut sit transactus nullus sine luctibus annus,
 Et det nulla dies finemve modumve querelis,
 Optentque assiduo me torum absumere fletu.
 Exerhat invito en geminos ad sidera planctus
 Nunc iterum dolor, erepto mihi funere *Phæbo*;
 Cujus inexhaustum fecundi pectoris uber,
 Doctrinæ prægnantis opes, mirandaq; mentis
 Lumina, Doctorum mirata est turba virorum,
 Quæque Colosseis sacravit pignora chartis.
 Perge quidem ex terris, solvens stipendia Mortis,
 Laus manet acta Tua, & nunquam ventura filebunt
 Secla, nec obscura rapiet sub nube vetustas.

Johannes Enyedi, p. t. Rudim. P. P.

Beata & Christiana Apotheosis Magni illius Magistri, olim Doctoris.

Adverte vultus magne Salvator tuos,
 Rescinde cælos, Anima lætetur mea,
 Dum morior, æterni relaxentur fores.
 Favete Superi: pectus impulsu quatit
 Immanis ardor, flamma depascit viscera.
 Hei! quantus ille per meum stridet latus

Trans-



Transmissus ensis. Multa vitæ mala tuli,
Pejora terrent. Vivo? proh! mundi Arbiter,
Fortuna vires negat, concussa ruit
Structura carnis, abest optanti quies.
Everte cœli munimen, laxa specum,
Satis est, JESU! roganti præsidium
Servo fer! en volat, animam excipe sinu.

Andreas Nánási, in Coll. Alumnus.

MYsta Deo gratus, Judex populi æquus, amator
Juris, Vir præstans, Vates Dominiq; fidelis
Ereptus vivis, planctum populi, *Samuel*, si
Demeruit meritis, sapiens quia præfuit olim
Isacidis; nihil hîc mirabere *re Samuelem*
Myſtam namq; Dei, Patriæ Sal, Lumen & orbis,
Judicio, factio, exemplo, ingenioq; Magistrum
Jam cecidiſſe loco, cauſamq; dediſſe dolori
Atq; iterum infandum renovare jubere dolorem.

Daniel Tsernátoni, apud C. Telekieses Pædag.

PLANCTIBUS astra Sion geminis penetrare memento,
In rivos oculos fontis converte sonantes.

En grave ballistæ tua mœnia quam truculenter
Pulsat onus jugiter, jam jam violantur ab illo:
Qualiter egregius vitis spoliata racemis
Desolata jaces, pariter viduata columnis:

Tetricus ignis enim Domini consumit amœnas
Cedros in Libano, atq; tuos populatur Arones.
Indigitat fatum hoc, quo functus clauditur Urna
Franciscus Pápai, Doctor Pholsterq; Lycei

Anniaci; vivum exemplar, virtutis imago,
In Latii cryptis lux fulgens, & manu ductor,
Et Patriæ fidus, quo Dacia nostra nitebat.

Johannes Szotyori, in Coll. Alumnus.

Nescio



Nescio quis subito nostris invecus agellis
Sirius est, qualive Jovis regione resulſit
Libra hæc; ast tantam secum tulit impia cædem,
Pestiferamque luem, ut totus sit lethifer annus:
Ille canis pariter (: tanta est injuria :) cepit
Præcoces aded fructus exurere terræ, ut
Arderent herbæ, & victum seges ægra negaret.
Interea extremum noster tentare duellum
Ausus & ille Leo cum pallescente Dracone,
Occubuit victus. Sors heu miserabilis ævi!

Johannes Borosnyai, Comitibus Steph: Betlen Ephorus.

HERBA ceu langvet medio sub æstu
Secta, humi, mollis, jacet arefacta;
Vita vanescit tenues in auras

Non secus omnis.

Nam æstuant Parcæ furiis in illos,
Quos tenet verum, pietas, pudorque
Et fides, & quæ melioris ævi

Divitiæ sunt.

His VIR haud dispar, fueras frequenter
Casibus duris agitatus; illæ
Nunc in atros te cineres resolvent,

Numinis ictu.

Nûm brabeum Mors operum tuorum est?

Abſit; at Phoenix cinis esse gaudes,

Fas Tibi cincto nitidô trophæo


Nectare vesci.

Stephanus Sz. Bányaï, in Coll. Alumnus.

Lugubres adsunt quoties Alumnus,
Qui canunt tristes, lachrymisq; miscent
Carmen? ah quantum gemit in dolore
Turba Heliconis!

D

Causa,



Causa, nam duris subito sagittis
Læditur, crebris laceratque Musam
Sortibus Clotho nimis heu! nimisque
Invida nostram.

En Virum, fatum! rapuit celebrem,
Qui venenato jaculatus ictu,
Nunc humi, cernis, jacet arefactus
Vespere tristi:

Hunc dolet terris animus recisum
Integrum vitæ scelerisque purum,
Donec in putrem cinerem caducus
Solvitur artus.


Sigismundus Sövényfalvi, in Coll. Alum.

Tollitur è medio justus, nec noscitur ulli
Injusto, factura manus quod sancta Jéhoa est *Esa. 57. 5.*
Scilicet: ut quamquam seruet, non abbreviata, *Esa. 59. 1.*
Urat sed ventura mali contagio justum
Sæpè; juvetque adeò Sanctos requièssè cubili: *Esa. 57. 6.*
Saucius ante malis optata pace fruiscis,
Tu quoque magne Parens! quam dat tibi nomen Jesu:
Nos (: quibus hoc superest:) gemebundi pectore totò
Optamus *vestræ sortis sit portio Jéhoa.* *Psal. 16. 5.*

Johannes Köblös, in Coll. Alum.

Qualis erat vivus Doctor celeberrimus iste,
Respondet Psaltes dulcia verba ferens: *Psal. 16.*
Cernebat jugiter votis precibusq; Jéhoam,
Qui fuit à dextris, consiliūq; dedit.
Gloria corq; Viri quin letabantur in ipso,
Semita nam vitæ atq; anchora Jéhoa fuit.
Indè animam dulcem fidei quam robore nixam
Firmabat prudens spe meliore Poli,

Posse-



Possedit pace in vivis; cum fata vocarent,
Lætus in extremis reddidit ultrò Deo.

Nicolaus Cz. Pávai, in Coll. Alumnus.

FOelix quem Dominus carcere tetrico
Peccati eripuit, tramite lubrico
Non hunc raptat Erynnis,
Nec mors horrificat nimis.

Emensus scopulos per vada prospera
Vallem tristitiæque, ivit in æthera
Votivam bene amico
Suspendit tabulam Deo.

Exemplo Angelicis cuncta cohortibus
Is peccata canit tradita fluctibus,
Cœli mutat acerbis
Dulci carmine nœnias.

Et tùm Cœlicolum cingit adorea,
Dùm Cœli regio suscipit aurea,
Cantat postq; triumphos
Victor perpetuum melos.


Emericus Barátosi, in Coll. Alum.

PRincipi *Palma* [arbori] peracerba Pindo
Palma [manus] Parcarum panicum patratne?
Palma [victoria] plangorem pepulit *polorum*
Perditionis.

Protoplastorum placidus *Patronus*
Principem prædæ phylacamq; pestis
Perdidit, *paetum* pepigit paratum
Prosperitatis.

Prosperam pacem Patriarcha *PARIZ*
Pneumatum prændas, phialamq; plenam
Post pias *PACES* pateat Patrono
Pax Paradisi.

Michaël K. Vásárhelyi, in Coll. Alumnus.
D 2 Flölcu.



Flosculus ætatis sensim labentibus annis
Deficit & subito solvitur in cineres,
Atque eadem Urna manet puerum, juvenemq; senemq;
Crimina nam fecit noxia primus homo.
Plangimus idcirco nunc *Te Vir clare*, Minervæ
Qui nuper nobis præmia larga dabas.
Ossa cubent placide, victurum spicula Mortis
Impedient nunquam te Pater alme, scio.

Andreas Bajtsi, Al. in Coll.

Cur mœstis resonant singultibus æthera circum,
Musarumque chorus luctibus ecce liquet?
Si quæras, animum dignis intende querelis,
Ut madeant lachrymis ora serena tuis.
En, trux impavidum, Mors, claræ pacis alumnum,
Jussit ad obscuri pergere busta soli;
Vixit in æternum, sed fœlix candidus adstans
Cœtibus Angelicis, junctus amore Deo.


Martinus Forrai, Coll. Alum.

ET dolor implacidus nostro par estne dolori?
Qui nostros animos macerat, & faciem.
Proh dolor! en calamum cedri virtute virentem
Franciscum Papai sustulit atra Clotho.
Dulce decus Patriæ, Gymnastes maximus ille,
Ingenio divus, religione sacer,
Occidit, ecce vides, lumen columenque Lycei,
Doctor, qui meruit vivere perpetuò.

Johannes H. Vajai, Coll. Alum.

Quam citò purpureos variat fortuna colores,
Quam citò vitalis luminis aura cadit;
Florida Castalii cadit agminis ecce corona,
Solvere qui poterat dogmata sacra Dei.

Non



Non nos ille dein' cœlesti pascet odore,
Heu! nitidos vultus abstulit atra dies.
Laudibus unde tuis pandant se regna polorum,
Sedibus in nostris fama perennis erit.

Josephus K. Gidofalvi, Coll. Alum.

AH! quibus insidiis, capulo tenus, abdidit ense
Abneris nostri, Mors lateri, rabidum?
Abneris certè; siquidem *Pater* ipse *Lycei*
Luminis hujus erat, quin potius populi.
Cur *Abfalomus* (: non *Jesseides* patromachus :)
Lethali potuit confodier jaculò?
Abfalom certè; si quidem *pacis studiosus*
Enixus *pacem* est omnibus ingenuis.
Scilicet, è cœno *decisus* & ipse, reverti
Post merita in gentes at *Sophiam* voluit.

Samuel Szathmári, in Coll. Alum.

Vivus ad Defunctum.

Cur properas tumido gelidum conferre sepulchro
Corpus? & horrificis membra locare locis?
Cur properas rigidum Patriæ cumulare tumultum
Heu Pater! indomitâ morte, colende, tuâ.

Defunctus.

Vita quid est? navis tumidis agitata procellis,
Hinc orior, morior non ego, cum morior.


Vivus.

I Pater ergo operum palmam jam carpe tuorum,
Et pete sanctorum gaudia Cœlicolûm.
Lumen eras Patriæ Sophiæ Splendore coruscans;
Sidus nunc fulgens castra colis supera.
Flos fueras flagrans, exhalans svavis odores
Christo, jam frueris nectare & ambrosiâ.

Stephanus Jeremiás, Coll. Alum.

D 3

Verba



Verba Denati.

Non mea grata suo Conjux viduata Maritò,
Non charo Soboles lachrymet orba Patre,
Non quoque mœsta suos fundat Respublica fletus,
Non fundat lachrymas concio tota suas,
Non inquam vos Pegasei me fontis Alumni
Carminibus vestris plangite continuò.
Sic etenim placuit Domino, sic fata tulere.
Nunc vadam Elysios visere lætus agros,
Nè mihi vita mea amplius hîc crux & dolor ingens
Sit; sed amœna quies, sit mihi læta dies.

Stephanus O Kovácsnai, Coll. Alum.

Tegmina Libethrides gestant squalientia Musæ,
Fundentes lachrymas, triste canuntque melos,
Luget Hamadryadum niveis lacerata capillis
Consecratâ cohors, collaque curva gerens
Crinibus intensis nudos percussâ lacertos,
Quin ita lugubres protulit ore tonos:
Occidit heu nostri non ultima gloria Pindi
Papaides merfus Phosphorus oceano!
Dacæ telluris tenebras qui luce fugare
Doctus erat, Scythicamque undique barbariem.
Heu mihi! quod mentes patulum super æthera notas
Æquali tantum forte eadem Urna manet.
Ast te clara fides, pietas & germina mentis
Udis ad bustum sunt comitata genis.

Franciscus H. Vajai, Coll. Civis.

Eheu quàm clarum fidus cecidisse videmus!
Scilicet ingenii, consilique Patrem.
Spes fuerat Patriæ, fuerat decus omne nepotum,
Qui fructus studii sparfit ubique sui.

Sed



Sed quoniam præclara habuit certamina vitæ,
In coelis Facti præmia digna tulit.

Franciscus T. Ternátoni, in Coll. Alum.

Huc aures, huc flecte oculos, huc respice Pompa,
Huc ades, ac lessum invitis modulare Camœnis,
Doctoris quia membra rigent, cineresque supersunt,
Qui Latii cryptas, altam rationis & ausus
Pertentare viam, verum moderabat & æquum.
Audet Mortis iter nunc explorare. Beatas
Huic detur, Superasque Dei revidere cohortes,
Fataque jam nostro maneant propiora Patrono.


Stephanus Ts. Losontzi.

Palladis armigeræ mirantur Matris alumni:
Cur mœstos gemitus nunc sine fine feram?
Causa hæc est: quoniam Doctore ego privor amato,
Qui in studiis strenuis præfuit ille meis.
O! *Francisce*, diu charò pietatis amore
Splendens atque nitens, deficis atque cadis.
Verte, precor, si fas, decretum evertere præsens;
Non licet, hic Dominus nam tibi monstrat iter.
Si conclusa semel Superùm mutare nefas est,
Desino: Te Dominus ducat ad astra Poli.

Nicolaus K. Vásárbelyi, Coll. Alum.

Occidit Interpres Musarum & Mystra sacrorum
Occidit, & planctus quantus ubique sonat?
Et silet eloquio qui sphalmata nostra levabat,
Jamque suum posuit corpus in ima soli,
Cujus in obscuro monumenta nitentia stabant,
Fixit & ingenii signa stupenda sui.
Sit foelix cui tanta patent insignia, cuique
Præmia virtutis stant, manet artis honos.

Ladislauis Zalányi, Coll. Civis.
Verba



Verba Collegii.

Proh! Pater Anniacum cur deferis alme Lyceum,
Et lachrymis lachrymas annumerare cupis?
Tu licet in dulcem declinas lumina somnum,
Nostra sed indomitis planctibus ora sonant.

Verba Defuncti.

Linguo solum, potiora capeffere fas mihi dona,
Possideo rutilans sic diadema poli,
Sicque animam Christus, tellus complectitur ossa:
Annia jam valeas! cælica turba placet.

Gabriel Zágonyi, in Coll. Alum.

Grande decus Patriæ nostræ, columenque Lycei
Anniaci, Mortis te mala vis rapuit?
Abfit: mens etenim cælo vivit, redivivum
Vivet item corpus, dum redimetur humo,
Vivent facta imis nostris infixæ medullis,
Vivent scripta, necis non subitura vicem.

Balthasar Nagy de Petek, Nob. Publ.


Acerba Mors vult parcere nemini,
Inops vel amplis muneribus potens
Sit, vel peritus, præditusque
Artibus eximiis rudisque.

Beatus ergo qui poterit frui
Choro piorum, cuique viget solo
Nomen, supremos ad nepotes
Nunciat & pietas honores.

Beatus hic Vir clarus honoribus
Satis diu qui vixit amabilis
Mundo, pius Christo, posteris
Sat posuit monumenta clara.

Optimo Fautori Georgius Tsólnakosi, Nob. Logicus.

Infan-



Infandum Superi mandant renovare dolorem,
Inque dies alitur grassans per viscera morbus:
Francisco Papai rerum Moderator habenas
Claudere supremam jussit discriminis horam.
Multis pressa malis conduntur membra sepulchro,
Mens fruitur Christo, sed molliter ossa quiescant.

Johannes Lázár de Gyalakúta, Nob. Rhet.

Cur Libitina furit? cur Urna capax movet alta
Nomina Doctorum? Cur Libitina furit?
In prædam fortè fieri sibi vellet eos, quos
Musa perire vetat; sed super astra locat.

Ladislav Nalátzi, Nob. Poëta.

Collegium.

Franciscus Papai flebilis omnibus,
Nulli flebilior sed tamen ac mihi,
In cælos rapitur terra relinquitur,
Nobis eripitur, Cœlicolis datur:
Quod multas lachrymas fundere me jubet.

Stephanus Nalátzi, Nob. Poëta.

Defunctus.

Quid sim, quid fuerim, quid ero volventibus annis?
Pulvis eram, pulvis dùm vixi pulvere vixi,
Rursus prima tulit tellus ab origine me qua,
Nunc eadem reducem mater me antiqua recepit.

*C. Stephanus Betlen, Michaëlis Filius, Nicolai Nepos;
Sac. Poëseos Cultor.*

Ome quod mundus videt est ut umbra,
Sive sit clarum diadema, sive
Nomen aut gazæ, varique fundi,
Omnia nil sunt.

E

Abstu-

(o)

Abstulit magnum cūta Mors Achillem,
Abstulit Crœsum, Priamum, Neronem,
Abstulit nostrum decus & Parentem,
Auferet & nos.

C. Nicolaus Teleki, Alex. Fil. Mich. Nepos; Poëta.

Heu! dies atro minitans cupresso
Quām dolorosis ferus exacerbas
Nunciis vultus, animumque mœsto
Carmine nostrum.
Merferit solem Thetys alma ponto
Qui diem nobis oriens reduxit
Quo prior vivo Genitoris orbus
Omne per ævum.
Nunc meum mœror lacerat labellum
Sauciat tristis species amaro
Corda lamento, Pater almus ecce
Clauditur Urna.
Cur tuam dulcis sobolem relinquis
Inter infestos aded pupillam
Turbines, solam Genitor caduco
Deferis orbe?
Aspicias vel non? lachrymæque pectus
Nil movent? olim Pater heu! movebant;
Nunc resolvetur vacuas in auras
Nostra querela.
Addere haud præstat, Superum voluntas
Hæc fuit, Christus vocat ad superna,
Quod piæ migrant animæ, sacrorum
Regna polorum.

Corpus

(o)

Corpus in tumba positum quiescet,
Sed piæ sedes animam tenebunt,
Ipsa nam cœlo pietas beavit
Te Pater alme.

Sic cineribus dulcissimi Parentis, extremum osculum lachry-
mabundus infigit, *Andreas Pápai*, Filius impuber; Poëta.

Omnia fors versat, manet omnes nos eadem nox,
Non parcit Summis, sic parcit Parca nec imis,
Non parcit Doctis, sed eorum fila resolvit,
Claudit is æterno Regum quoque corpora busto.

Paulus Mikó, Nob. Syntaxista.

Serve Dei, venerande Senex, mea gaudia vitæ,
Cur properando fugis, nec remeabis, abis?
Nil nisi tristitiæ me cingunt undique densæ,
Sed bonitas Christi te comitatur, Amen.

Ita lamentatur venerandum, nomine Affinem, at cura
sui genuinum Patrem, *Stephanus Nyíró Mágotsi*,
Nob. Synt.



